

2. Fons Heronis ex vase superiori & inferiore constans per horam ferme emittit aquam jucundo spectaculo, præsertim quando variis figuris instructus fuerit.

3. Ex globo aneo, nec non ex alio magno ex laminis ferreis confecto, instructo sua patina, intruso prius per antliam pneumaticam aere, aqua cum maxima delectatione ejicitur, præsertim si hisce fontibus variæ figuræ fuerint appositæ.

4. Fons æneus spiritu vini rectific. debite repletus & carbonibus impositus projicit spiritum per varias figuras in aërem, hic si admota candela accensus flammam concipit, jucundissima spectacula oculis sistit.

5. Agitur hic etiam de machinis, quibus aqua ejicitur, quâ ignis extinguitur, & quomodo tales machinæ possint applicari in quavis domus parte.

DEMONSTRATIO XXXV.

Radii reflexi ea natura est, ut angulus incidentiæ æqualis sit angulo reflexionis.

Experimenta.

1. Objectum in speculo aliquo plano oblique ad illud positum non videtur, nisi in certo aliquo loco & sub eadem obliquitate.

2. Quando inspicimus speculum sphaericæ concavitate, ita ut facies consistat intra quartam diametri partem, tunc enormiter magnum caput apparet, oculi quasi bovis, & omnia miris modis ampliata.

3. Speculorum cylindricorum effectus monstratur, hinc ubi deprehendimus, quod figuræ nimis distractæ sint ut oculis non appareant, in dictis speculis exhibentur apparentes & formæ suæ debitæ restituantur,

4. Specula concava polita & unum parabolicum ex
F 2 cupro